



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Decreta Liberii Papae, Prioribvs Non Inserta, desumpta ex codice vetusto
16. librorum, lib. 13. cap. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

DECRETA LIBERII PAPÆ,
PRIORIBVS NON INSERTA,
desumpta ex codice vetusto 16. librorum,
lib. 13. cap. 9.

Quod in diebus ieiunii nulla iurgia esse debeant.

IN his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus & opere necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones & lites quadragesimæ tempore faciunt, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in diebus ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.* ^{Isa. 58.}

EIVSDEM CAPITE DECIMO.

Vt in sacris diebus ieiuniorum coniugati a coniugibus se abstineant.

Abstinendum est in his sacratissimis quadraginta diebus a coniugibus, & caste & pie viuendum, vt sanctificato corde & corpore isti dies transigantur, donec perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia pene nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ & eleemosynæ non commendant.

EIVSDEM CAPITE DVODECIMO.

Si euenerit fames aut inæqualitas aeris, quid agendum.

Si euenerit fames, inæqualitas aeris, pestilentia, vel talis qualiscumque tribulatio, statim ieiuniis, eleemosynis & obsecrationibus, Domini misericordia deprece-
tur.